Digitized by Google

1 7 . 12

Digitized by Google

1.7.12 B

B.

Digitized by Google

Digitized by Google

1.7.12

c I

DE PRÆSTANTIA LINGUÆ SANCTÆ ORATIO

Habita in Collegio Romano

A JACOBO MARIA AYROLO
SOCIETATIS JESU
LINGUARUM PROFESSORE.

ROMÆ, MDCCV.
Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſs., & Reverendiſs. Principi

JOSEPHO RENATO

IMPERIALI

S. R. E. CARD. AMPLISSIMO.

Jacobus Maria Ayrolus Soc. Jeſu felicitatem.

CUM paucis ab hinc diebus orationem in Collegio Romano de hebraicæ linguæ laudibus habuiſſem, EMINENTISSIME PRINCEPS, *reſcivi opportunè huius ipſius linguæ defenſionem, in ædibus* EMINENTIÆ VESTRÆ

Digitized by Google

poſtmodum exhibendam, ab Academicis Sapientiſſimis adornari. Enimvero ſtatim atque intellexi, tam validas mihi ad cauſam linguæ Sanctæ propugnandam ſuppetias adeſſe; nihil cunctandum ratus, anſam arripui, & quam privatim habueram, orationem in lucem edere feſtinavi. Quid enim eâ in causâ cunctarer, in quâ, unâ cum hebraicâ linguâ, Divinarum pariter literarum eruditio: in quâ Doctrina orthodoxa: in quâ ſacrorum codicum Veritas agitur, & adverſus heterodoxos propugnatur? Hoc opus qualecumque, quod Tibi vel eo nomine deberetur, Eminentissime Princeps, *aliis præterea multis debebatur nominibus. Quid enim Tibi literaria non debet Reſpublica, qui non ut Patronus modò, verum, ut Parens amantiſſimus, literarios viros excipiens, ædes Tuas ſcientiis omnibus, & bonis artibus Lyceum facis, ut fauſtis ſub penetralibus ſapientiæ filii, pulcherrima ſoboles, ma-*
Dan. 12. 3. *gnificè educati*, quaſi ſplendor firmamen-

ti

ti in lucem gentium *prodeant*, quaſi ſtel- Iſajæ 49. 6.
læ in perpetuas æternitates? *Quod cum* Daniel. 12. 3.
agis, quid aliud agis, quàm Dei Sapientiam increatam in domo *tuâ* habita- Pſal. 102. 8.
re facis matrem *veluti* filiorum lætantem? *Si enim abeâ, ubinam gentium habitet, ſciſcitemur*: Ego ſapientia, *reſpondebit*, habito in conſilio, & erudi- Prov. 8. 12.
tis interſum cogitationibus. *Quas ego cum ædes contemplor, propheticam in illas benedictionem aptè quadrare intelligo*: Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & Num. 24. 6.
tentoria tua Iſrael; *pulchra, inquam, cæleſti atque divinâ, quæ non oculos, ſed mentem rapiat, pulchritudine*: ut valles nemoroſæ; *amœnitate ſcilicet diſputationum*: Ibid.
ut horti juxta fluvios irrigui; *ubertate doctrinæ*: ut tabernacula, quæ fixit Dominus. *Hanc etenim* ſibi *planè divina* Sapientia, *quæ Tuo dudum ſedem fixit in pectore*, domum ædificavit; *plurimos* Proverb 9. 1.
Tuũ ut ad exemplum alumnos formaret, & quas iam pridem ſcientiarum divitias in Te uno collegerat, in multos diſtribueret.

ret . Hæc Tu nimirum Sapientiæ compendia iam inde meditabare , cum in hoc ipſo Romano Collegio egregiâ Indole , & præſtanti Adoleſcens ingenio, coniunctâ, cum addiſcendi cupiditate inexplebili, morum integritate inculpabili; omnium in te oculos, & ora converteres ; Virtuteque ætatem prævertens , perfectæ maturitatis fructus non ſponderes modò, ſed redderes : ut meritò proinde Memoria *Tui* in compoſitionem odoris facta , opus

Eccleſ.49. 1. pigmentarij, in omni ore quaſi mel, & ut muſica in convivio vini, *hactenus in Gregoriano hoc Lyceo , velut Joſiæ memoria, perſeveret . In domo ergo ſapientiæ Lingua Sancta , cui Eloquia ſua Sapientia ipſa concredidit , debitum ſibi locum nacta, ſperat futurum , tuis ut auſpiciis , pomœrium ſuum quàm latiſſimè amplificet , & priſtinum in ſplendorem reſtituta , ſacros codices Divinarum literarum Studioſis meliori luce cognoſcendos proponat. Unde fiat, ut linguarum inſcitiam deſinat penitus nobis obiicere li-*

vor

vor heterodoxus, in orthodoxos, atque adeo in hanc Religionis arcem velut in ſignum, cui contradicat, *ſemper intentus:* Luc. 2. 24. *& ſiquidem ad hebraicos in poſterum provocaverit fontes, ut ſolet, inveniat Romæ non paucos, ex Academicis* Eminentiæ Vestræ *præſertim, qui, conditione accepta, & fontes intrepidè adeant unà cum illis, & iiſdem illos in fontibus, ſuâ nequidquam philologiâ inflatos, demergant.*

Digitized by Google

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulan. Viceſg.

EX commiſſione Rev. Patris Paulini Bernardini Magiſtri Sac. Pal. Apoſtol. Attentè vidi librum cujus Titulus: *De Præſtantia Linguæ Sanctæ*, Auctore P. Jacobo Maria Ayroli Societ. Jeſu, & inveni cuncta, rectè, ac eruditè, nullâ erroris umbrâ cadente, ſed juxtà orthodoxam Sanctæ Eccleſiæ doctrinam, concinnè edoceri, ac auctoritatibus Sacræ Scripturæ, ſive ex Vulgata, vel Originalis hebraici textu, aliarumve verſionum decerptis fideliter, inſuper & Sanctis Patribus, & rationibus omnia comprobata reperi, ita ut ad Sanctę Linguæ ſtudium, maximè ad perfectam divinarum ſcripturarum intelligentiam utiliſſimè capeſſendam, fortiter, ſuaviterq; diſponant animum. Ideò, haud dubium ad profectum, librum hujuſmodi prælo poſſe mandari, putandum.

Ego Philippus Franciſcus Zabami Canonicus Proc. Cath. Eccl. Meſſanen. J. V. & Sacr. Theolog. Doctor jam Lector S. Script. in Academia Illuſtriſſimorum Nob. Clericorum Urbis.

IMPRIMATUR

Fr. Jo. Baptiſta Carus Socius Reverendiſſimi P. S. A. P. Magiſtri Ordinis Prædicatorum.

ORATIO.

1 QUandoquidem,quadriennio exacto, hebraicam linguam docentes luſtrum condimus (luſtrum autem, ut Terentio Varroni placet, à *luendo*, ideſt *ſolvendo* ductum eſt, eò quod quinto quoque anno vectigalia, & tributa exigerentur) novis auditoribus vetus debitum accedimus ſoluturi. Debemus illis nimirum in hebraicis literis tradendis quadruplicatam (quod debitum tot annos docendo contraximus) diligentiam. Ut ergo ab ipſo ſtatim ineuntis anni primordio debiti partem aliquam luere incipiamus; de Linguæ Sanctæ præſtantiâ, & utilitate neceſſe eſt pauca præfari.

2 Hebraicæ linguæ præſtantiam tria præſertim commendant, antiquitas, ſanctitas, pulchritudo. Antiquiſſimam ſanè linguarum omnium hebraicam, mundique æqualem omnes ferè, cum Patres, tum Sanctarum interpretes Scripturarum teſtantur. Geminos producere in medium ſufficiat Hieronymum, & Auguſtinum, quorum primus epiſt. ad Damaſ. *Initium*, ait, *oris & communis eloquii, & hoc omne quod loquimur, hebraicam eſſe linguam, quâ vetus Teſtamentum ſcrip-*

 tum

tum eſt , univerſa antiquitas tradidit . Auguſtinus verò lib. 16. de Civit. Dei cap. 11. *Hebraica lingua ,* inquit , *remanſit in familia Heber , diviſis per alias linguas cæteris gentibus , quæ lingua priùs humano generi non immeritò creditur fuiſſe communis : ideo deinceps hebraica eſt nuncupata , tunc enim opus erat eam diſtingui ab aliis linguis nomine proprio ; quando autem erat una , nihil aliud , quàm humana lingua vocabatur .*

3 Conſonant huic veritati nomina primis hominibus, locisque, quorum hiſtoria ſacra meminit, ab initio mundi ad babylonicam uſque diſperſionem impoſita : hominibus quidem , velut Adam , Heva , Cain , Abel, Seth, Henoch, Phaleg, Noe , Abraham , Iſaac , Jacob , Sara , Iſrael , Melchiſedech : locis verò, ut Hierico, Salem, Sichem, Bethlehem , Segor , Cariatſepher, atque alia quam plurima : quæ nomina cum hebraicis è radicibus exponantur (אדם Adam enim dicitur ex אדמה adamà *terra*, quaſi *terreus*; Eva ex חיה hhaià *vixit*, quaſi *omnium mater viventium*; Cain à קנה Kanà *aquiſivit*, quia dixit Heva , *aquiſivi hominem per Deum* ; atque ita per reliqua diſcurrendo) hebraica planè lingua vetuſtiſſima , & omnium prima ſatis oſtenditur. Ex hebraica proinde,velut ex matrice,cæteras omnes derivatas, quædam ejuſdem reliquiæ in illis extantes indicio ſunt . Orientales verò pleræque , Syriaca præſertim , Chaldaica , Arabica , Æthiopica , Samaritica tantam cum illâ habent affinitatem , ut jactis ſemel hebraicæ fundamentis , velut experti norunt , facili omnes negotio condiſcantur .

4 Sanctitatem porro , unde hæc præ cęteris lingua cognomentum vendicat ſibi, facit in primis author

thor

thor illius Deus Opt. Max. Eſt enim hebraica lingua non humano placito, vel ingenio, ſed divinâ auctoritate, & magiſterio excogitata; quippe quam in ipſo mundi naſcentis exordio Deus ipſe protoplaſtarum mentibus indiderit, quo ſtatim, & inter ſe invicem, & ad Deum quæ ſentiebant eloqui perfectè poſſent, omniumque Auctorem bonorum, quibus par erat laudibus, celebrarent.

5 Huc & illud accedit, quòd ſi quando poſt linguarum diviſionem fideles ſibi, & ſanctitate conſpicuos viros Deus alloqui vellet; non niſi hebraicâ uti linguâ conſueverit: velut ex nominibus ab ipſo ſive impoſitis, ſive mutatis, ut Abram in Abraham, Sarai in Sara, Jacob in Iſrael, quæ nomina ex hebraico fonte dimanant, perſpicuum eſt.

6 Quin etiam nomen illud ineffabile & auguſtiſſimum, nomen, inquam, tetragrammaton יהוה, Dei proprium & eſſentiale, ex hujus linguæ radice, ſeu verbo ſubſtantivo הוה havà *fuit*, derivatũ, quãtum ad ejus ſanctitatem affert acceſſionis! Quod quidem nomẽ nulla alia exprimere, aut reddere lingua poteſt: itaque ſeptuaginta Interpretes nomen illud per κύριος, ideſt, *Dominus*, (quod nomen appellativum eſt) ubique exponunt. Laus proinde hebraicæ linguæ ſolius hæc eſt, ut quæ lingua divinis erat myſteriis continendis deſtinata, proprio Divinitatis nomine conſecraretur.

7 Quin etiam gemina illa, quæ omnem vincunt ſuavitatem, nomina *JESUS*, & *MARIA*, nomina *ſuper aurum*, *&* *lapidem pretioſum multùm deſiderabilia*, *&* *dulciora ſuper mel*, *&* *favum*, Pſ. 18
nonne hebraicam ſimiliter radicem præſeferunt? Jeſus enim ex radice ישע iaſcah, quæ radix eſt inuſitata, &

ſalvare ſignificat, deductum eſt; per quod in linguâ myſteriorum fœcundiſſimâ myſticè inſinuatur credentibus, ſalutis Verbum, inſuetum olim, & inuſitatum mortalibus, ex eo ſolum uſurpari, & conju-
Phil. 2. 7. gari cœpiſſe, ex quo Dei filius *in ſimilitudinem hominum factus in terris viſus eſt, & cum hominibus con-*
Bar. 3. 38. *verſatus eſt. Neque enim eſt aliud nomen, in quo opor-*
Act. 4. 12. *teat nos ſalvos fieri, ſub cælo datum hominibus, niſi nomen Jeſu Chriſti Nazareni.* Maria autem, ſive ex radice מרר marar *amarum eſſe*, & ים jam *mare*, *Amaritudinis mare*; ſive ex radice רום rum *exaltavit*, *exaltata* exponitur: cujus nominis utramque expoſitionem ipſa in cantico ſuo Maria, dum prophetaret, complexa eſt: *Reſpexit*, inquit, *humilitatem*
Luc. 1. 48. *ancillæ ſuæ*; ecce *amaritudinem*: *Fecit mihi magna qui potens eſt*; ecce *exaltationem*: ut Maria proinde, juxta hebraicum idiotiſmum, idem ſonet, ac *humilitas exaltata*.

Hebr. 13. 14. 8 Denique in feliciſſimâ illâ, *quam futuram inquirimus*, Civitate Dei, non niſi hebraico idiomate loquendum, infertur ex ſacris literis: quò facit illud Sophoniæ 3. 9. *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & ſerviant ei humero uno*: quem locum de lingua hebraica in Regno Dei poſt mundi finem reſtituendâ, A caſtro, Arias Montanus, & Galatinus apud Cornelium exponunt. Sophoniæ concinunt Tobias c. 13. 22. & Joan. Apocalip. c. 19. 1. dum per vicos ſupernæ Jeruſalem æternum *halleluja* (quę vox *laudate Deum* hebraicè ſignificat) cantatum iri teſtantur. Et ſanè cum hominis lingua à divinis laudibus in æterna illa felicitate nunquam ceſſatura credenda ſit; cumque apud Iſaiam le-
Iſai. 6. 5. gamus, beata Seraphim alterum ad alterum קדוש קדוש

קדוש Kadoſch, Kadoſch, Kadoſch: hoc eſt *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, hebraicâ jugiter linguâ clamare; credibile eſt, beatarum mentium æmulos beatos homines, iiſdem vocibus,eodemq; idiomate,Triſagium perpetuum ingeminaturos.

9 Dicet aliquis: Eſto hebraico idiomati, de ſanctitate & antiquitate, linguæ cæteræ fortaſſe concedant; illud tamen nativâ nempe, & intimâ pulchritudine facile ſuperabunt. Ego verò contendo, hebraicum idioma, tum ex eo, quòd Sanctum ſit, tum ex eo, quòd omnium primum, eſſe oportere omnium elegantiſſimum. Illius ſanctitas nimirum inde, ut oſtendimus, proficiſcitur, quòd linguam hujuſmodi Deus ipſe condiderit, eamque inter loquendum cum hominibus uſurpaverit. Numquid ergo, ut eam minus elegantem conderet, elegantiæ fontes conditor ignorabat? anne eleganter loqui ſapientes viros deceat, ſapientiam vero ipſam dedeceat? Eſt ergo elegans hæc lingua, quia Sancta. Deinde nonne axioma philoſophicum eſt, *Primum in unoquoque genere eſſe menſuram cæterorum*? Cum itaque hebraicum idioma omnium primum à divina fuerit Sapientia concinnatum; fateamur oportet omnibus illud linguis tamquam exemplar fuiſſe propoſitum, ad quod quanto quæque lingua accederet magis, tanto eſſet lingua perfectior.

10 Verum agedum ex ipſiuſmet elegantiæ fontibus id ipſum comprobemus. Elegantia porro ſermonis in eo potiſſimum ſita eſt, ut purus, ut brevis, ut dilucidus ſermo ſit; ut energiam inſuper, & proprietatem in verbis; ut ornatum in contextu præſeferat. Jam verò hebraica lingua hiſce omnibus ita prærogativis excellit, ut linguas cæteras longo inter-

tervallo poſt ſe relinquat. Et primo quidem,cũ nullas lingua hæc habeat extraneas voces admiſtas (omnes enim linguæ quaſdam ab hebraica voces mutuantur, ipſa vero ab aliis mutuatur nihil, neque ex aliarum radicibus, verum ex propriis, voces derivat ſuas) pura quam maxime, ſincera, & ſimplex, atque adeo iterum prima oſtenditur, *ſimplicia quippe compoſitis priora eſſe*, philoſophicum eſt. Proprietatem verò in vocibus, & energiam linguæ Sanctæ ſatis commendant nomina, uſque adeo rerum, quibus ſignificandis impoſita ſunt, naturam, & indolem exprimentia, ut definitiones dixeris veriùs, quàm nomina. Hinc Euſebius Pamphilus præpar.Evang.lib.11. cap. 6. exponens illud Geneſis cap.2. 19. *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus. Cum ait ipſum eſt nomen ejus*, inquit, *quid aliud, quàm appellationes, uti natura poſtulat, inditas eſſe ſignificat?* & ſanè ut in latinâ voce exemplum ponamus, quid, amabo, vox hæc, *leo*, præſefert, unde leonis valeas naturam dignoſcere? at hebraicum nomen לביא lavì, quod leonem ſignificat, à radice לב lev *cor*, audax illico, & intrepidum tibi animal ob oculos ponit. Eadem ratione אבירים abbirìm hebraicè tauri dicuntur, quaſi *robuſti*; ab אביר avìr *robuſtus*: רננים renanìm pavones,quaſi *clamoſi*; à רנן ranàn *clamare*: חסידה hhaſida ciconia, quaſi *miſericors*; à חסד hheſed *miſericordia*, quâ, erga genitores præſertim, quorum etiam ſenectam educare dicitur, hæc avis nobilis eſt. Quæ vis ſignificandi, atque proprietas, ſi tantam nanciſcitur laudem in vocibus, quantam habebit admirationem in elementis? Sunt enim elementa ipſa, ſeu literæ in hebraica lingua, quod minimè eſt prætereundum, ſignificativæ: quia

verò

verò literarum natura in ipſarummet figura, & forma, ſeu ſpecie, quam oculis exhibent, & ſitu quem occupant, ſita eſt, nomina literis impoſita literarum figuram, & ſitum aptiſſimè exprimunt. Aleph א itaque ex eo quod Principem in ordine locum obtineat, ſignificat *Princeps*: Beth ב à figurâ, quam imitatur, *domus*: ſumma enim ejus linea tectum, ima pavimẽtum, media parietem, quę è regione eſt vacuitas, portam refert. Ghimel ג à gibbo, quẽ gerit in dorſo, *Camelus*: & ita deinceps (paucis exceptis, quæ à ſono, quem exprimunt, nomen ſortitæ ſunt) ad ultimam uſque tau ת, quæ ſignum ſeu terminus, quòd ordinem terminet, & claudat agmen, ſignificat; alphabetum hebraicum, & literas proportione mirabili habet ſignificativas, & compendio pulcherrimo voces plurimas, vel antequam ex literis voces formare condiſcant, Tyrones docet: quâ ſanè prærogativa latina, & græca pariter lingua deſtituuntur. Ex quo iterum linguæ hujus oſtenditur origo divina. *Eſt enim nominum impoſitio*, ut in Cratylo auctor eſt Plato, *non leve quiddam, nec vulgarium, ac plebejorum hominum: adeoque verè à Cratylo dictum eſt*, inquit, *ſuum à naturâ rebus ineſſe nomen; nec artificem nominum quemvis eſſe poſſe, ſed eum dumtaxat, qui & innatum rei cuique nomen pervidere, & illius quaſi formam literis deinde, ac ſyllabis repræſentare poſſit*.

11 Eſt etiam lingua hæc omnium breviſſima, conciſa, atque laconica, adeoque naturalis cum primis, (ut advertit Poſtellus de Originibus) & ad eum, cui linguæ fini deſerviunt, quam celerrimè ſcilicet conceptus mentis aperiendi, maximè idonea. Brevitatem hujuſmodi, & laconiſmum faciunt,

Digitized by Google

ciunt, ut advertit Salmeron Proleg.14. verborum primò, & nominum primitivorum; modorum deinde, per quos verba inflectuntur, paucitas; varia denique unius, ejuſdēque radicis per varias conjugationes inflexio, & ſignificatio. Hoc enim verbum, ſive radix מסר masàr ex. gr. per quatuor conjugationes ita circumducitur, ut in prima מסר masàr, ſignificet *tradidit*; in ſecunda מסר miſsèr, *tradidit diligenter*; in tertia המסיר himſir, *fecit tradere*; in quarta denique התמסר hithmaſsèr, *tradidit ſe ipſum*: ubi utrum magis mirere, compendiumne addiſcendi? Dum unico verbo, ſive radice inventâ, quatuor ſtatim conjugationes, ſignificationeſque diverſas tenes; an methodum in Verbis componendis planè divinum? Quâ in re Græcam, & Latinam Hebraica lingua longè prævertit: quis enim ſive græcè, ſivè latine unicâ voce dixerit, *fecit tradere*, velut hebraicè dicitur חמסיר himsìr: quis *tradidit ſe ipſum*, velut hebraicè dicitur חתמסר hithmaſsèr: quis *diligenter tradidit*, velut hebraicè dicitur מסר miſsèr? Quod quidem adverbium diligentiam ſignificans, trium apud græcos, id eſt ἀκριβῶς, apud latinos autem quatuor ſyllabarum, per unicum punctum ſecundæ literæ radicali infixum, eamq;literam duplicans,ita exprimit,ut nihil brevius, aut aptius dici, nihil proinde elegantius poſſit. Quid enim brevius puncto? Rurſus quid aptius, quàm, diligentiam ut exprimas, quæ fit duplicando operam, duplicare literam? Quod artificium per omnia dum verba circumfert, eademque ratione dicit פקד למד limmèd pikkèd, *diligenter docuit*, *diligenter viſitavit*: הפקיד הלמיד hilmìd hiphkid, *docere fecit*, *viſitare fecit*, ſive *præfecit*: התפקד התלמד hithlammèd hithpakkèd *docuit ſe ipſum*, *præfecit ſe ipſum*; incredibile dictu

eſt

eſt, quam brevi verborum circuitu quàm multas ſententias hebraica lingua inimitabili ſanè elegantia complectatur. Quo compendio dicendi perfectionem operandi pariter Lingua Sancta mirabiliter nobis inſinuat, juxta illud Eccleſ. 33. 23. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto*: ut operemur primò, ut diligentiam deinde operi impendamus, ut ad operandum præterea alios incitemus, ut omnes demum actiones neceſſario regreſſu in noſmet ipſi convertamus: quàm abſurdum eſt enim, ut qui alios curas, teipſum non cures, qui cætera cognoſcis, teipſum ignores? Quæ autem brevitas in linguis reliquis parere obſcuritatem conſuevit, juxta illud: *Brevis eſſe laboro, obſcurus fio*; in hebraica mirum quantum afferat perſpicuitatis, & lucis; tum ex eo, quòd paucæ admodum hujus linguæ voces, propter ſignificandi energiam, vocibus multò pluribus equivaleant; tum propter ea, quæ grammatici *affixa* vocitant, quibus affixis poſſeſſiva pronomina *meus, tuus, ſuus, noſter, veſter*, quemadmodum & demonſtrativa *hic, ille*, per unicam ſyllabam ex primitivis pronominibus decerptam, & nomini, ſeu verbo adjectam in fine, hebræi feliciſſimè exprimunt. v. g. *Magiſter*, qui hebraicè רב rau dicitur, ſi unicum addas jota fit רבי rabbì unicâ voce, quod nos duplici dicimus, *Magiſter meus*. Similiter, *genui*, quod hebraicè dicitur ילדתי jaladti, ſi addas ſyllabã ך cha fit ילדתיך jeladticha, unicâ voce, quod nos duplici exprimimus, *genui te*. Quem quidem morem, in verbis præſertim, lingua Italica eſt imitata, dum quod latinè dicimus v. g. *quærite eum, tollite eum*: brevius, & elegantius dicit *cercatelo, toglietelo*: in quo vel neſcientes Itali modum loquendi hebrai-

cum imitamur. Neque rurſus parum ad claritatem linguæ Sanctæ facit diviſio verbi per genera: maſculinum enim, & fœmininum genus, (quod græca, & latina lingua in nominibus tantùm agnoſcunt) hebraica & in verbis adhibet: itaque *tradidit*, ſi de viro ſermo ſit, dicitur מסר masàr, ſi de fœmina מסרה maſerà. In ipſo autem verbo inflectendo, dum primitivorum pronominum ultimas ſyllabas radici, ſeu themati ad finem adjungens præteritum conjugat, & ex אחה attà *tu*, v. g. & מסר masàr *tradidit* facit כסרת maſarta *tradidiſti*, ex אנחנו anahhnu *nos*, & מסר masàr מסרנו maſarnu *tradidimus*: cum rurſus, ordine inverſo, ſyllabas eaſdem radici addēs ab initio, conjugat futurum, & ex אתה & מסר facit חמסור timsòr *trades*, ex אנחנו & מסר נמסור nimsòr *trademus*: tam concinna brevitas, tam mira proportio, tam multa venuſtas, elegantia, lepor, ut cętera deeſſent argumenta, divinum planè hujus artificii Auctorem inſinuant.

12 Quid veneres, lepores, & ſales hebraicos memorem, quos nulla exprimere, aut aſſequi lingua valeat? Quid de figuris, & tropis dicam, cæteriſque ſtyli ornamentis? Ex quibus eloquentia hebraicæ linguæ tanta conſurgit, ut ex Sacrarum Auctoribus literarum, tamquam ex fontibus, ne dum Eccleſiæ Patres, verum etiam probatiſſimi quique Scriptores, vel ethnici ſententias, figuras, ſimilitudines, translata, eloquentiam derivaverint: ipſique adeò poetæ, ut in libro de ſtylo Auctor eſt Cardinalis Pallavicinus, ſtyli nobilitatem, & ſpendorem aſſecuturi, ſacros præſertim codices frequentaverint. Meritò proinde Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 6. *Ubi eos*, inquit, *intelligo* (de canonicis Scriptoribus loquitur) *non ſolum nihil eis ſapientius*,

tius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt. Et ſanè, ut aliqua in medium exempla proferamus, quam magnifica, quam ſplendida eſt translatio quâ dicitur Deut. 32. 42.

אשכיר חצי מדם וחרבי תאכל בשר

Inebriabo, ſive ut ſignificantiùs habet hebraicus textus, *inebriare faciam ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes*. Et iterum ibidem 14.

ויאכל תנובות שרי ועתורים עם חלב כליות חטה ודם ענב תשתה חמר:

Ut comederet fructus agrorum, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum: pro eo quod diceret; *triticum electum, & vinum rubrum*. Abacuc 3. 17.

כחש מעשה זית

Mentietur opus olivæ: pro eo quod diceret; *oliva fructum non afferet*. Pſ. 103. v. 8.

יעלו הרים ירדו בקעות אל מקום זה יסדת להם:

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis: pro eo quod eſt; *excelſi ſunt montes, humiles campi*. Job. c. 38. v. 37.

מי יספר שחקים בחכמה ונבלי שמים מי ישכיב:

Quis narrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet? pro eo quod eſt; *ceſſare faciet*. & rurſus cap. 26. 14.

הן אלה קצות דרכו ומה שמץ דבר נשמע בו ורעם גבורתו מי יתבונן:

Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum ejus, & cum vix parvam ſtillam ſermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Quanta nempe dicendi vis, quàm magnum eloquentiæ fulmen ineſt in hoc tonitruo, pro eo quod eſt; *quis poterit terribilem magnitudinem illius intueri?* An parum eloquens eſt idem Propheta, *ſive* cum dicit cap. 17. 14.

לשחת קראתי אבי אתה אמי ואחתי לרמה:

Putredini dixi pater meus es , mater mea , & ſoror mea vermibus . Sive cum equum deſcribit cap.39.22.

התתן לסוס גבורה התלביש צוארו רעמה: כרי.שופר יאמר.האח
ומרחוק יריח מלחמה רעם שרים ותרועה:

Numquid præbebis equo fortitudinem , aut circumdabis collo ejus hinnitum ? ubi audierit vocem buccinæ dicit , Vah : procul odoratur bellum , exhortationem ducum , & ululatum exercitus . Sive cum mare coercitum narrat cap. 38. 8.

ויסך בדלתים ים בגיחו מרחם יצא: בשומי ענן לבשו וערפל
חתלתו:

Quis concluſit oſtiis mare , quando erumpebat quaſi de vulva procedens , cum ponerem nubem veſtimentum ejus , & caligine illud , quaſi pannis infantiæ obvoluerem ? Quam pulchris coloribus Iſajas per dialogiſmum à paſſionis pugnâ victorem Chriſtum deſcribit cap. 63. 1.

מי זה בא מאדום חמוץ בגדים מבצרה זה הדור בלבושו צעה ברב
כחו אני מדבר בצדקה רב להושיע מדוע אדם ללבושך ובגדיך
כדרך בגת: פורה דרכתי לבדי ומעמים אין איש אתי ואדרכם באפי
וארמסם בחמתי ויז נצחם על בגדי וכל מלבושי אגאלתי.

Quis eſt iſte , qui aſcendit de Edom tinctis veſtibus de Boſra , iſte formoſus in ſtola ſua , qui graditur in multitudine fortitudinis ſuæ ? Ego qui loquor juſtitiam , & propugnator ſum ad ſalvandum . Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum , & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari ? Torcular calcavi ſolus , & de gentibus non eſt vir mecum : calcavi eos in furore meo , & conculcavi eos in ira mea , & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea , & omnia indumenta mea inquinavi . At infinitum eſſet hujuſmodi ſtyli lautitias , quibus ſacræ literæ ubique ſcatent , perſequi velle : quæ ſi in latinam linguam translata tam multum retinent ſplendoris , & maje-

ſta-

Digitized by Google

ſtatis, quanto grandius, quantoque elegantius in ipſo hebraico fonte ſonent, cuivis vel hebraicè neſcienti conjicere in promptu eſt.

13 Et hactenus quidem de dignitate, atque præſtantiâ hebraicæ linguæ quæ diximus ſatis ſuperque ad ſtudium pulcherrimum animos valeant inflammare: de utilitate verò quæ ſuperſunt dicenda graviorem oppido, & uberiorem orationem deſiderant. Quæ ergo utilitas hebraicæ Linguæ? *Multùm per omne modum* (liceat huc Apoſtoli verba ad Rom. 3.2. quibus circumciſionis utilitatem commendat, aptare) *multùm*, inquam, *per omnem modum*, *quia credita ſunt* huic linguæ *eloquia Dei*, quod quidem donum ſingulari numinis beneficentiâ divinitus collatum mortalibus, quis pro dignitate valeat æſtimare? Regius ſanè Propheta hoc quaſi præcipuum ubi retuliſſet: *Qui annuntiat*, inquiens, *Verbum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael*, admirationis velut ecſtaſi raptus exclamat: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Quorum tanta eſt profunditas eloquiorum, ut Auguſtinus ad Voluſianum *In eis*, inquit, *quotidie proficerem, ſi ea ſolùm ab ineunte pueritiâ uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Tanta enim non ſolùm in verbis, ſed etiam in rebus latet altitudo Sapientiæ; ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura quodam loco habet, cum conſummaverit homo, tunc incipiet*. Quorum eloquiorum notitia uſque adeo mortalibus neceſſaria eſt, ut ea quiſquis ignorat, Chriſtum ignoret quodammodo neceſſe ſit. Si enim *Chriſtus*, Apoſtolo teſte 1. Corinth. 1. 24.

Pſal. 147. 9.

eſt

eſt Dei Virtus, *& Dei Sapientia*, & Dei Virtutem, ejuſque Sapientiam neſcit, qui neſcit Scripturas; juxta illud Matth. 22. 29. *Erratis neſcientes ſcripturas*, *neque Virtutem Dei*; profectò, ut concludit Hieronymus præf. in Iſajam, *Ignoratio ſcripturarum ignoratio Chriſti eſt*. Ut ergo divinas ſcripturas, atque adeo Chriſtum ipſum, qui ſcripturarum, *& legis* Rom. 10. 4. *finis eſt ad juſtitiam omni credenti*, intelligamus, eam præ cæteris linguam, cui eloquia Dei, & vetus teſtamentum creditum eſt, mirum quantum proderit didiciſſe. Neque enim fruſtra è Cruce pendenti Chriſto Domino, cum titulus: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum* triplici linguâ præfigeretur, *Et erat ſcriptum*, inquit Joan. 19. 20. *hebraicè*, *græcè*, *& latinè*: non fruſtra, inquam, hebraica obtinuit principatum: ut omnibus palam eſſet, quo loco lingua hæc iis eſſet habenda, qui myſticum librum ſcriptum intus, & foris Chriſtum crucifixum legere, & intelligere concupiſcerent. Cujus idiomatis notitia cum cæteris omnibus, tum iis præſertim neceſſaria eſt, qui divina Eloquia ſive ab exhedra, ſive ex ſuggeſtu exponere aliis tenentur: quàm abſurdum eſt enim, ut legatus Regis ſui mandata minimè intelligat, & egeat interprete! Themiſtocles certè, cum Perſarum Regis alloquium, ſupplicem ei libellum daturus, appeteret, annum ſolidum in perſicam linguam addiſcendam inſumpſiſſe fertur, ne per interpretem Regis verba excipere cogeretur,

14 At enim, reſpondeat aliquis, cum hebraicus Textus in latinam linguam per interpretes ſapiētiſſimos dudum translatus ſit; nihil eſſe, cur tantopere hebraicæ linguæ neceſſitas ad ſacras literas intelligendas inculcetur: quin imò, quàm viri doctiſ-
ſimi

Digitized by Google

ſimi olim occupaverint, provinciam invadere fruſtra eſſe: alienis proinde laboribus gratias habendas, & fruendum partis.

15 *Puerilia ſunt hæc*, ut Hieronymi verbis utar In Epiſt. ad Paulinum *& circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores: imo, ut cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire, quod neſcias*. Fruſtra nempe eſt hebraica lingua, ex quo in latinum idioma per ſapientes viros ſacræ literæ translatæ ſunt. Fruſtra ergo ad ſtudium linguarum, hebraicæ cum primis, oecumenica Concilia, fruſtra Sanctiſſimi Pontifices Clemens V. præſertim, & Paulus ſimiliter V. decretis graviſſimis celeberrimas Æuropæ Academias, & Religioſorum Familias incitarunt. Quorum primus in Clement. de Magiſtris cap. *Inter ſollicitudines* toto approbante Concilio Vienneſi, ſtatuit, *Ut ubicumque Romanam curiam habitare contigerit, nec non in Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, & Salmanticenſi ſtudio teneantur viri catholici ſufficientem habentes hebraicæ, arabicæ, & chaldaicæ linguarum notitiam, qui alios linguas ipſas ſollicitè doceant, ut inſtructi fructum ſperatum poſſint Deo Authore producere*. Paulus autem in conſtitutione, quæ incipit *Apoſtolicæ ſervitutis onere* decrevit, *ut in cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti Regularium tam mendicantium, quàm non mendicantium ſtudiis omnibus trium linguarum hebraicæ, græcæ, & latinæ; in majoribus verò, & celebrioribus etiam arabicæ doctores, regulares quidem, & ejuſdem ordinis, ſi in illo harum linguarum ſufficientem notitiam habentes ſint, ſin minus ſeculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur*. Fruſtra eſt ad ſacras literas poſt latinam

ver-

Digitized by Google

verſionem hebraica lingua. O vos ergo deceptos Abulenſis, Lyrane, Genebrarde, Bellarmine, Sixte Senenſis, Maldonate, Galatine, à Lapide, Pagnine, Arias Montane, aliique ſexcenti, qui tamdiu in Linguæ Sanctæ apicibus enucleandis, ut tutis liceret ſcripturarum campos pervadere, elaboraſtis, & deſudaſtis. Cur non hos audiſtis tam doctos homines, tam eruditos, priuſquam in iſtum errorem induceremini? Quantam vos operam, quàm multum temporis, quòd iſta vos fugerint præclara præcepta ſapientiæ, inutiliter inſumpſiſtis. Fruſtra eſt hebraica lingua, ex quo omnia in latinam translata ſunt. Quid ſi quædam nec translata ſunt, nec transferri potuerunt? Legimus nempe quot annis in hebdomada majore lamentationes Hieremiæ Prophetæ ita deſcriptas, ut ſingulis verſibus ſingula ex ordine hebraici alphabeti elementa reſpondeant Aleph, Beth, Ghimel, Daleth &c. at ordinem hujuſmodi non vertit omnino latinus Interpres, ſic enim incipit. *Quomodo ſedet ſola civitas*. Heus tu, Interpres bone, ab Aleph incipit verſus propheticus איכה ישבה בדד העיר Quare pro Aleph, ſive pro A, literam Q, mihi ſubſtituis? Quid habet, amabo, Q, ſimile, aut commune cum Aleph? At interpres in culpâ non eſt, quid enim faceret ille, quando latinarum, & hebraicarum vocum ſibi elementa non congruunt? Parumne tamen ex hebraico textu, in quo *Singuli apices, & puncta*, ut inquit Hieronymus in cap. 3. ad Epheſ. *plena ſunt ſenſibus*: in quo, ut auctor eſt Poſſevinus in biblioth. ſelect. *Tot continentur Sacramenta, quot literæ*: parum ne, inquam, nobis interim in verſione periiſſe credendum eſt, dum divino magiſterio invectus ordo diſperiit? Simile hujus eſt, quod accidit in Pſal. 8.

ver. 5.

ver.5. *Quid eſt homo quod memor es ejus,aut filius hominis, quoniam viſitas eum ?* Quo loco lingua hebraica *hominis* nomen variat;& pro eo quod dicimus, *quid eſt homo*;habet, quid eſt אנוש Enòſc, id eſt *obliviosſus*: pro eo quod dicimus, *filius hominis*, habet, *filius* ארם *Adam*,id eſt,*terrę* : מה אנוש כי חוכרנו ובן ארם כי תפקרנו: Quaſi diceret: *quid eſt obliviosſus iſte, quod memor es ejus; aut iſte terræ filius, quia viſitas eum?* At hæc gemina pulcherrima antitheſis in latinâ verſione nuſquam apparet. Non vacat huc aggerare, quæ tertio quoque verbo in Scripturis occurrunt exempla ſimilia: ex utroque tamen allato de reliquis capere conjecturam cuivis in promptu erit. Quid ſi in ipſiſmet hebraicis characteribus paululum variatis myſterium lateat? velut Iſajæ *9. 7.*

לםרבה המשרה ולשלום אין קץ

Multiplicabitur ejus imperium,& pacis non erit finis: Ubi per *mem* clauſum, ſive quadratum ם, quod rotundum, & apertum eſſe debuerat מ, ſive excellentiam Principatus Chriſti Domini per quatuor mundi plagas dilatandi; ſive perpetuam Deiparæ Virginitatem ab Iſaja prænuntiatam, multi apud Cornelium, & Gaſparem Sanctium Interpretes opinantur. Cujus ſimile eſt, quod habetur Deut. *6. 4.*

שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד

Deus Deus noſter Deus unus eſt, ubi duplex dictio שמע ſchemàh *audi*, & אחד ehhàd *unus*, per literam majuſculam terminata figuræ granditate gravitatem ſententiæ,& pōdus indigitat. Quaſi dicat *Audi Iſrael*, audi autem quàm attentiſſimè;magna enim res agitur. Deus Deus tuus Deus *Unus* eſt. Unus, inquam: non ſicut dii gentium, quorum falſam divinitatem pluralitas arguit; nam *Dii gentium dæmonia*: Dei au- *Pſ.95.5.*

tem noſtri *Unitate* Divinitas vera monſtratur. Quo loco ſi, ut quibuſdam apud Cornelium hìc placet, Dei nomine triplicato, Auguſtiſſimum Trinitatis myſterium innuitur; quanto major in illis majuſculis literis tam grande Arcanum inſinuantibus inſit emphaſis, quantoque attentiorem animadverſionem mereantur, nemo non videt. At hæc, & cætera hujuſmodi ignorat verſio latina. Quid poeſim, & numeros metricos memorem? Quibus ſacri vates ſuaviſſimè pariter, & elegantiſſime divinas ſubinde in laudes erumpunt: Regius Pſalmiſta præſertim, cui nomen divinæ fecere cantiones; & S. Job, qui ut in epiſt. ad Paulinum teſtatur Hieronymus, *Proſa incipit, verſu labitur*. Nonne & hanc Scripturarum ſanctarum dulcedinem, hoc delicium (quod maximum eſſe, vel ex eâ, quam in prophanis poetis percipimus voluptate, licet conjicere) ita omiſit interpres, ut ne minimum quidem illius extet in verſione veſtigium: cujus rei rationem reddens Auguſtinus in epiſt. 131. ad Memorium. *Quibus numeris*, inquit, *conſiſtant verſus Davidici non ſcripſi, quia neſcio: neque enim ex hebraicâ linguâ quam ignoro, potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri neceſſitate ab interpretandi veritate amplius, quàm ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos conſtare numeris credo illis, qui eam linguam probè callent. Amavit enim vir ille Sanctus muſicâ piam, & in ea ſtudia nos magis ipſe, quam ullus alius auctor accendit*. Denique voces ſæpiſſime, & phraſes habet hebraica lingua emphaticas, & ſenſu gravidas, quibus cum pares in alia lingua voces non ſuppetant; fit plerumque, ut vis illa, & emphaſis in verſione intercidat, & ſententia quæ hebraicè vivida eſt, at-

que

que robuſta, latinitate donata langueſcat. Sic ex. gr. cum dicitur Ex. 34. 6.

יהוה יהוה אל רחום וחנון ארך אפים ורב חסד

quod latinè verſum eſt: *Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis*: vox illa רחום rahhùm affectum miſericordiæ ſignificat, non qualemcumque, verùm ex intimis ductum viſceribus, & illius proprium, cujus inter miſerendum viſcera commoveãtur: quem miſerationis modũ vox ea *miſericors*, poſita pro רחום, minimè aſſequitur. Similiter phraſis illa ארך אפים, erech appaim, quæ latinè redditur *patiens*: hebraicè, ut verbum de verbo reddamus, *longis naribus* ſonat: quo dicendi modo patientia per cauſam ſuam expreſſius, & elegantius indigitatur; cum ita comparatum ſit à natura, ut longi naribus ad iram tardiores ſint.

16 Verum fac, ut ne apicem quidem, aut punctum inter vertendum omittat, id poſſe præſtari ab interprete; Canonicas tamen Scripturas in eo, in quo divinitus dictatæ ſunt, idiomate cognoſcere quanti eſt? Nempe quàm minimum ſæpe res eadem variata quàm multum leporis amittit, & gratiæ! Sumamus è rebus notiſſimis documentum. Quid eſt quod panis è furno, vinum è cryptâ recens allatum, (æſtate præſertim) tantopere arrideat; ille verò in diem alterum, in alteram iſtud horam ſi differatur, utrumque diſpliceat? Quam minimum abeſt ab utroque, dum mollities ab altero, ab altero frigiditas abeſt! Cum ergo Scriptura divina nobis ſit inſtar panis, quem comedamus in ſaturitate, & vini quo inebriemur, juxta illud Sapien. 9. v. 5. *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*: veluti recens nimirum in eo, in quo eſt idioma-

Digitized by Google

te dictata;in aliam verò linguam verſa, illecebris hujuſmodi velut deſtituta, nobis apponitur.

17 Hæc autem jactura ex verſione literis ſacris illata, omnibus eſt libris communis: quàm multum enim, dum in aliam linguam vertuntur, auctoribus detrahatur,nemo mediocriter eruditus ignorat. Ariſtoteles græcè elegantiſſimus,quem *Aureum eloquentiæ flumen* meritò Tullius nuncupavit, latinè barbarus eſt. Fac Ciceronem ipſum, fac divinam Philippicam italicè verti; quàm diſſimilis ſui, quàm infans, & indiſertus romanæ eloquentiæ Pater evadet! Quàm propè erit,ut *Antonj gladios poſſit contemnere*! Ut ergo Ariſtotelem, ut Platonem, & cæteros græcos Auctores græcè; ut Ciceronem, ut Livium, & cæteros latinos latinè cognoſcas, latinam, & græcam linguam addiſcere operæ pretium erit: ut Moyſem, ut David, ut Salomonem, ut Iſajam, ut Danielem, & Prophetas cæteros hebraicos ſcriptores hebraicè cognoſcas,hebraicam linguam cognoſcere operę pretium non erit? Rogamus ergo, ut laboris ſaltem, & curæ tantumdem veracibus, & ſacris Scriptoribus intelligendis impendatur, quantum fallacibus, & prophanis impenditur: *Eſt enim Deus verax*, ut inquit Apoſtolus Rom. 3. 4. *omnis autem homo mendax*.

18 At fingamus interpretem & ea vertere, quæ verti non poſſunt, & quæ ſervari non poteſt elegantiam in verſione ſervari; aliud occurrit in verſione malum, cui hebraicæ linguæ cognitio medeatur, obſcuritas. Porro obſcuritatem hujuſmodi tria potiſſimum faciunt: primò quidem verborum ambiguitas; deinde hebraicus idiotiſmus; tertiò Amanuenſis, ſive Typographi errores, & menda. Ad hebraicos fon-

Digitized by Google

fontes proinde in veteri teſtamento recurrendum Auguſtinus, & Hieronymus auctores ſunt: quorum ille lib. 2. de Doctr. Chriſ. cap. 10. *Latinæ linguæ homines*, inquit, *quos inſtruendos ſuſcepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, hebreâ ſcilicet, & græcâ; ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſiquam dubitationem attulerit latinorum Interpretum infinita varietas*. Hæc Auguſtinus, cujus teſtimonium eò ponderoſius cenſendum eſt, quòd cum ad ſacrarum literarum cognitionem hebraicam linguam neceſſariam affirmat, eam linguam commendat, cujus ſe, ut vidimus, candidè rudem fatetur: non ut alii quidam faciunt, qui ut ſcriptum eſt Judæ 10. *Quæcumque ignorant blaſphemant*. Hieronymus vero ad Suniam, & Fretelam: *Sicut in novo Teſtamento*, inquit, *ſi quando apud latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt Inſtrumentum: ita in veteri Teſtamento, ſiquando inter græcos latinoſque diverſitas eſt, ad hebraicam recurrimus veritatem; ut quidquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis*. Idem affirmant Bellarmiuus lib. 2. de Verbo Dei cap. 11. Salmeron Proleg. 13. Cornelius à Lapide Proęm. in Pentateucum, Mekhior Canus lib. 2. de locis Theologicis, aliique, quorum catalogum texere longum eſt. Idemque Interpretes ferè omnes, ſi minus verbo, exemplo certè confirmant. Et ſanè ſi pro contractibus civilibus, promiſſionibus; & teſtamentis intelligendis geminos Jureconſulti titulos inſtituerunt, alterum *de verborum ſignificationibus, de verborum obligationibus alterum*, ut ritè interpretari poſſent hominum verba; quanto rationi

eſt

eſt congruentius, ad ea interpretanda (quibus nobiſcum initæ Dei pactiones, promiſſiones, & teſtamenta continentur) verba divina, geminum nos idioma, hebraicum ſcilicet, & græcum adhibere: cum præſertim multiplex in unico textu ſenſus, non myſticus modò, verùm etiam literalis, velut diſertè probat Salmeron Prolegom. 8. ſæpiſſime lateat. Quod ſi aliqua præterea in verbis (quod frequenter uſu venit,) ambiguitas inſit, multo major ſenſuum pluralitas literam conſequetur. Hujuſmodi autem ambiguitas, ad linguas omnes, licet inæqualiter, pertinet, in quibus pauciores multò voces cum ſint, quam res & actiones; nomen unicum plures ſæpe ſubſtantias, & plures actiones, ſive paſſiones unicum verbum ſignificet, neceſſe eſt. Cum ergo vox ambigua, quam ſine delectu à canonico Scriptore adhibitam ſuſpicari nefas ſit, non ſemper ambiguitate ſervatâ reddi ab interpretibus poſſit; Spiritus Sancti ſententia manca ſubinde, atque ex parte dumtaxat neceſſariò reddenda eſt: ut niſi hebraicam radicem conſulas, tenere eam perfectè non poſſis. Hujus rei exemplum affert Hieronymus in Apolog. adverſ. Ruff. ex Pſal. 2. ubi oſtendit eumdem hunc hebraicum textum נשקו בר naſſequ-bar, triplicem admittere expoſitionem, ut ſignificet primò, *Apprehendite diſciplinam*; deinde, *Oſculamini filium*; tertiò, *Adorate purè*. At Hieronymum ipſum audiamus: *Illud quoque carpere dicitur*, inquit, *quod ſecundum Pſalmum interpretans, pro eo, quod legimus in latino, apprehendite diſciplinam, & in hebraico volumine ſcriptum eſt* נשקו בר, *dixerim in commentariolis meis*, adorate filium: *& rurſus omne pſalterium in romanum vertens ſonum, quaſi immemor expoſitionis antiquæ* po-

Digitized by Google

poſuerim , adorate purè , *Et revera ignoſcendum eſt ei , ſi ignoret linguæ hebraicæ veritatem , qui interdum & in latinis hæſitat .* נשקו naſſequ, *ut verbum de verbo interpreter*, καταφιλήσατε, id eſt, deoſculamini *dicitur , quod ego nolens transferre putidè, ſenſum magis ſecutus ſum , ut dicerem* adorate (*quia enim qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere , quod ſe B. Job elementis , & idolis feciſſe negat dicens: Si vidi Solem cum fulgeret , & Lunam incedentem clarè , & lætatum eſt in abſcondito cor meum , & oſculatus ſum manum meam ore meo , quæ iniquitas maxima eſt , & negatio contra Deum altiſſimum : Et hebræi juxta linguæ ſuæ proprietatem deoſculationem pro veneratione ponunt , id tranſtuli , quod ipſi intelligunt , quorum verbum eſt.* בר Bar *autem apud illos diverſa ſignificat ; dicitur enim & filius , ut eſt illud Bariona, filius columbæ; Barptolomeus, filius Ptolomei : dicitur etiam triticum , & ſpicarum faſciculus, & electus ac purus . Quid igitur peccavi , ſi verbum ambiguum diversâ interpretatione converti ? Et qui in commmentariolis , ubi libertas eſt differendi , dixeram* adorate filium, *in ipſo corpore , ne violentus viderer interpres , & judaicæ calumniæ locum darem, dixerim* adorate purè, *quod Aquila quoque , & Symmacus tranſtulerunt . Quid ergo eccleſiaſticæ fidei nocet , ſi doceatur lector , quot modis apud hebræos unus verſiculus explanetur ?*

19 Simile hujus eſt quod habetur Oſeæ 6. 7.

והמה כאדם עברו ברית שם בגדו בי

Ipſi autem ſicut Adam (de filiis Iſrael loquitur) *tranſgreſſi ſunt pactum , ibi prævaricati ſunt in me .* Ubi τὸ אדם adam tripliciter exponi poteſt: primò juxta Vulgatam, ut primum hominem ſignificet , & ſenſus

ſus ſit: *Ipſi in ſimilitudinem prævaricationis Adam, in quo olim peccaverunt, prævaricari pergunt*: ſecundò juxta ſeptuaginta, quibus adhæret verſio Syriaca, ut to, אדם Adam, *homo* generaliter exponatur, & ſenſus ſit: *Ipſi ſicut homo tranſgreſſi ſunt pactum*. αὐτοὶ δέ εἰσιν ὡς ἄνθρωπος παραβαίνων διαθήκην: Syriacè autem

ܘܗܢܘܢ ܐܝܟ ܒܪܢܫܐ ܥܒܪܘ ܥܠ ܩܝܡܝ܀

Tertiò ut to אדם ſignificet, *generationem antiquam*, ſic enim prædictum textum in Chaldæa Paraphraſi Jonatanis expoſitum legimus

ואנון כדריא קדמיא עברו על קימי

Et ipſi ſicut generationes priſcæ prævaricati ſunt pactum meum.

20 Ab oppoſito accidit non raró, ut quam textus non habet, ambiguitas in verſione reperiatur: velut in Pſal. 109. v. 3.

עמך נדבות ביום חילך

Tecum principium in die virtutis tuæ: ubi dictionem נדבות nedavòth, (quæ à ſeptuaginta redditur ἀρχὴ, voce tum principium, tum principatum ſignificante) latinus Interpres vertit, *principium*; cum potius, *principatus*, ex Bellarmino, & Salmerone, vertendum fuerit, quemadmodum vertit Arabicus.

معك الرياسة في يوم قوتك

Quâ voce magnum de Chriſti Imperio & poteſtate arcanum continetur. Hanc porro ambiguitatem non recipit textus hebraicus; neque enim vox illa, נדבות, hebraicè principium ſignificat.

21 Sed nec illud eſt prætereundum, fieri interdum

dum, ut quæ in lingua Sancta ſunt per metaphoram dicta, ſi in aliam vertantur linguam (ut Hieronymus ad Pammachium advertit) minimè decorem conſervent. Quàm ſæpe enim *cornu*, & *cornua*, ſive pro *regno*, ut Pſal. 131. 17.

שם אצמיח קרן לדוד

Illuc producam cornu David: ſive pro *fortitudine*, ut Pſal. 17. 3.

מגני וקרן ישעי

Protector meus, & cornu ſalutis meæ, in Scripturis ſplendidè uſurpatum invenies? Quam tamen ſi in italicâ linguâ adhibeas metaphoram, diſplicebis. Hìc enimvero, temperare mihi non poſſum, quò minus in eorum pinguiſſimam invehar ſtoliditatem, qui, quod metaphoricè dicitur Exod. 34. 29. *Ignorabat Moyſes, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini*, propriè exponentes, Legislatori ſanctiſſimo cornua perquam irreverenter, & indecenter, ne quid dicam gravius, appingunt. Quorum Interpretum ſententiam pictores plerique, & ſculptores ſecuti, cornutum nobis Moyſem, alterum veluti Bacchum, ſive Jovem Ammonem, (quod ſine ſtomacho intueri non poſſis) ſubinde obtrudunt. *Non ergo cornua in fronte Moyſes* (inquit hîc doctiſſimus à Lapide,) *ſed uſque adeo fulgentem ex alloquio divinitatis faciem præſeferebat, ut luminis radios vibrare undique videretur*. Quarè Chaldęus non verba, ſed ſenſum reddens, ait:

ומשה לא ידע ארי סגי זיו יקרא ראפוהי בםללותיה עמיה:

Moyſes autem neſciebat, quòd multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui cum loqueretur cum eo. Chaldæo concinunt ſeptuaginta: μωϋσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδό-

 ξασται

ξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἐν τῷ λαλεῖν αὐτὸν αὐτῷ. Septuaginta ſequitur D. Paulus, qui 2. Corinth. 3. 7. hæc cornua gloriam vultus interpretatur: *Ita ut non poſſent*, inquit, *intendere filii Iſrael in faciem Moyſis propter gloriam vultus ejus*.

22 Accidit ambiguitas pariter temporibus verborum, & caſibus nominum, velut Pſal. 118. v. 162. qui utrum legendus ſit: *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invênit*, ſecundâ productâ; an potius *qui invenit ſpolia multa*, ſecundâ correptâ; ex latina lingua non conſtat: at conſtat tum ex hebraica, ubi מוצא motsè; tum ex græcâ, ubi εὑρίσκων; utrumque præſentis temporis participium, *inveniens*, ſive *qui invenit*, ſecundâ correptâ, eſt exponendum. Preterquam quod ſenſus ipſe, in quo agitur exceſſus gaudii, per ſe ſatis præſens tempus videtur poſcere: major enim invenientis, quam ejus qui invénit, eſſe voluptas ſolet, quippe quæ repentè magna, (quoniam vehementiores affectiones diuturnæ eſſe non poſſunt,) minuitur tempore. Pſ. verò 126. 3. ubi legimus, *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris*: ambiguitatem tollit deſignatio caſus, tam enim *filii*, quàm *merces*, & *fructus* in hebraico textu ſunt nominativi caſus, ut ſenſus ſit, veluti Bellarminus exponit: *Cum pacem Dominus populo ſuo dederit, mittens ad illos verum Salomonem, tunc hæreditas Chriſti Domini erunt filii plurimi*, Eccleſia Catholica videlicet ex omnibus gentibus congregata: juxta illud Pſ. 2. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: quia verò hæreditatem hanc non gratis accepit, ſed *aquiſivit ſanguine ſuo*, hęc ipſa hęreditas ejuſdem Chriſti Domini erit & mer-

Act. 20. 28.

merces, juxta illud Iſajæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.*

23 Quod verò ad idiotiſmos hebraicos ſpectat, iis Biblia referta ſunt. Huc illa faciunt: *Juſtitias judicare*, id eſt, *juſtè*: *Montes Dei*, id eſt, *altiſſimi*: *Virga directionis*, id eſt, *recta*, *Vir mortis*, id eſt, *Reus mortis*. Huc illud Zach. 4. 14. *Hi ſunt duo filii olei*: id eſt, *Uncti oleo*, Dux populi ſcilicet, & ſummus Sacerdos. Hinc expones Pſ. 108. verſ. 24. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum*; in quo quàm perſpicua prima pars eſt. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio*, tam obſcura, ſive latinum codicem, ſive grecum conſulas, pars eſt altera: quid enim ſibi vult hoc, *Caro mea immutata eſt propter oleum?* Quod ad verbum ex græco ἡ σάρξ μου ἠλλοιώθη δι᾽ ἔλαιον, redditum eſt; numquid oleo letitie? Verum hec expoſitio cum antecedentibus non cohæret. At ſi ex hebraico idiotiſmo advertas, vocem illam שמן *ſcemen*, quam latinus interpres *oleum* exponit, poſſe ſimiliter *pinguedinem* verti. Si rurſus to *propter pinguedinem* reddas, *à pinguedine* (particula enim hebraica מן *min* à verius, quàm *propter* latinè ſignificat) & legas *Caro mea immutata eſt à pinguedine*, videlicet *caro mea eſt emaciata*, ſenſus eſt planiſſimus, & prime parti ejuſdem verſiculi per Synonymiam figuram in pſalmis frequentem, omnino reſpondens.

24 Quem ſi hebraicum idiotiſmum interpres minimè advertens, ingenio velificetur ſuo; labetur paſſim, & contrarium vero ſenſui ſenſum ſequetur. Exemplum nobis ſuppeditat Pſ. 79. verſ. 6. *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura*: quem interpres quidam exponens, *Quid*

eſt in menſura? inquit, *Apoſtolum audi*; *fidelis Deus, qui non vos permittit tentari ſupra quàm poteſtis ferre: ipſa eſt menſura, pro viribus tuis*; *ipſa eſt menſura, ut erudiaris, non ut opprimaris*. Perperam tamen, ut Bellarminus advertit; vox enim hebraica שליש *ſcaliſc*, quam latinus interpres *menſuram* vertit, magnitudinem, & quidem triplicatam; cum verò ad menſuram refertur, ter magnam, ideſt, maximam menſuram ſignificat:quaſi dicat: *Domine quouſque potum lachrymarum dabis nobis in menſura pleniſſima, & ſupereffluente?* Et ſanè ſi quis verſiculos ſuperiores inſpiciat, ex contextu id ipſum deprehendet: *Domine virtutum*, dixerat,*quouſque iraſcèris ſuper orationem ſervi tui, cibabis nos*, id eſt, *quouſque cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura? Poſuiſti nos contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannaverunt nos*. Conqueritur ergo Propheta calamitates, quibus viri juſti ab hoſtibus ſuis opprimebantur; iiſque à Domino modum flagitat: non ergo cum moderatione, & pro viribus; imò potius *ſine modo*, & *ſupra vires* opprimebantur.

25 Neque in veteri Teſtamento dumtaxat, verùm & in novo intelligendo uſum habet idioma hebraicum: licet enim grçcè, ab hebræis tamen hominibus ſcriptum novum Teſtamentum, hebræas redolet dialectos, & nativos idiotiſmos illius linguę ſpirat. Hinc illud eſt Matth. 24. 22. *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro*: id eſt *nulla caro*, ſive *nullus homo*: hebraicè enim, *non omnis* nullum ſignificat. Sic Pſ.48.18.*Homo cum interierit, non ſumet omnia*: id eſt *nihil ſumet*. Neque enim Evangelici textus hic eſſe ſenſus credendus eſt, ut niſi

niſi brevientur dies illi, aliqua tantum; ſi brevientur autem, omnis caro futura ſit ſalva: nam illis etiam breviatis diebus reprobi utique erunt multi, qui ſalvi non fient.

26 Adde quòd cum hebraicę voces, nec ſanè paucę, in latinâ editione non ſine ſpiritus Sancti conſilio, ſervatę ſiut, cujuſmodi ſunt, *Emmanuel*, *Raca*, *Corbona*, *Manna*, *Paſcha*, *Golgotha*, *Gabatha*, *Cherubim*, *Seraphim*, *Amen*, *Hoſanna*, (quâ in voce ob imperitiam hebraicę linguæ lapſum eſſe Hilarium in epiſt. ad Damaſ. Hieronymus teſtatur) atque id genus alia: *Quarum partim propter Sanctiorem auctoritatem*, ut inquit Auguſtinus l. 2. de Doct. Chriſt. c. 11. *quamvis interpretari potuiſſent*, *retenta eſt antiquitas*; partim verò, ut in cap. 1. epiſ. ad Eph. idem Hieronymus auctor eſt, *in aliam linguam transferri non poſſunt*: quàm indecorum eſt voces hujuſmodi, quando in Scripturis occurrunt, pſittaci inſtar effutire; quàm periculoſum, & errori proximum, ſi rudis hebraicæ ſis linguæ, conſtruere: velut errant ſubinde nonnulli, dum hoc nomen, *Seraphim*, adhibentes ajunt, *Seraphim apparuit*: *Seraphim volavit*: *cum Seraph* dicendum ſit ſingulari numero, nam *Seraphim* plurale eſt.

27 Poſtremum illud eſt, quòd cum in ſacros Codices (quę humanarum eſt rerum conditio) partim Typographorum incuriâ, injuriâ temporum partim, velut irrepſerant olim, irrepere iterum poſſint errores, & menda (quibus vitiis Tridentinum, ubi *Vulgatam quàm emendatiſſimè imprimi* Seſſ. 4. mandavit, intellexit planè illam carere omnino non poſſe) hebraicæ linguæ cognitio, per quam errores hujuſcemodi deprehendi valeant, & emendari,

dari, quanti vel ex hoc uno capite facienda eſt ? Sic ubi Pſal. 41. 2. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*, legunt quidam, *fortem vivum* legendum, ex codice hebraico patet.

צמאה נפשי לאלהים לאל חי

Hæc enim vox אל *el* unum eſt ex Divinis Nominibus fortitudinis imagine Deum Significans. Similiter Pſ.106. 40. *Effuſa eſt contemptio ſuper principes*, non verò *contentio* ex eod. textu leges.

שפך בוז על נדיבים,

Vox enim בוז *buz contemno*, non autem *contendo* exponitur. Rurſus Pſal. 26. 4. *Ut videam voluptatem Domini*, genuina lectio eſt, non verò *ut videam voluntatem*.

לחזות בנעם יהוה

Dicto enim illa נעם *voluptatem*, ſive *amœnitatem*, non vero *voluntatem* hebraicè ſonat. Atque id genus alia quamplurima, quæ ſubinde vitio librariorum, & temporum Vulgatę editioni accidere errata poſſunt, ad hebraicam veritatem, velut Salmeron. proleg.3. paulo poſt referendus, & Bellarmin. lib.2. de Verbo Dei cap.11. inſinuant, corrigenda erunt.

28 Si ergo ab ea, *quæ ſurſum eſt Jeruſalem Mater noſtra*, peregrinantes ſolatio habemus
Gal.4.26. *Sanctos libros*, veluti Sanctos decet, non ſicut cæteri,
1.Mach 12.9. qui ſpem non habent: ſi in præſentis ſeculi *caliginoſo loco tamquam lucerna nobis lucet ſermo propheticus, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus no-*
2.Pet.1.19. *ſtris*: ſi ſacræ literæ nobis ſunt inſtar *menſæ, quam in conſpectu noſtro paravit Dominus adverſos eos, qui*
Pſ.22.5. *tribulant nos*, hoſtes verę fidei hęreticos, & infideles: quâ nos alacritate eniti par eſt, ut eam linguam, quæ tam grande nobis ſolatium adhibet, tam neceſ-

ſa-

ſarium lumen accendit, tam pingue convivium inſtruit, cognoſcamus: & magnâ (quæ in Scripturis ſanctis abſcondita eſt,) dulcedinis multitudine uberius, & liquidius, ex ipſo hebraico fonte haurientes perfundamur. Hanc quiſquis ſemel guſtare dulcedinem cœperit, neceſſe eſt ei, veluti guſtato melle, cætera omnia videntur inſulſa:aliis ut ſe literis amplius, aliis nequeat ſcientiis oblectare.Et meritò ſanè:tantò enim cęteris facultatibus ſacrarumLiterarum ſcientia jucundior ſit oportet, quantò præſtantior. Eſt autem ſcientia hęc omnium pręſtantiſſima,veluti meta,& finis ultimus ſtudiis omnibus, & ſcientiis conſtitutus: quippe quæ cæteras omnes ſibi facultates ſubiugat, in eaſque exercet principatum, juxta illud proverb.9.3. *Sapientia* (ideſt ſcientia Sacra) *miſit ancillas ſuas* (cæteras facultates ſcilicet) *ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis* (ad Eccleſiā Catholicam nimirum) velut 1.p.q.1.art.5. Angelicus Doctor exponit. Atque utinam pręſtātiſſimarum facultatum vocibus, & monitis auſcultaremus: ſive enim Philoſophiæ vacamus,hebraicum nobis idioma commendaret Philoſophia: ſive Mathematicam colimus, ad hebraicum idioma nos adhortaretur Mathematica:ſive ſcholaſticę, aut polemicæ, aut morali Theologiæ navamus operam, hebraicum idioma triplex nobis inculcaret Theologia.Quidni enim eam nobis linguam enixè facultates omnes & ſcientię commendarent, ſine quâ propoſitum illis finem, ſcripturarum intelligentiam ſcilicet, aſſequi perfectè non poſſumus.

29 Cæterum quæ de hebraicis fontibus adeundis dicta ſunt hactenus, non eò velim ſpectare, ut Vulgatæ editioni, in iis, quæ ad fidem, & mores pertinent, tamquam Regulæ ab Eccleſia nobis

pro-

Digitized by Google

propoſitę, aliquid detrahatur: cum veriſſimè dixerit Auguſtinus libr. contra epiſt. fundamenti cap. 5. *Evangelio ego non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret authoritas*. Cui ſanè tanti Doctoris ſententię conſonat ſolemne Sacroſanctę Tridentinę Synodi Decretum quod extat ſeſſ. 4. ubi. *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenet, & tenuit ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum; aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat*. Itaque ſi quando hebraicum textum Vulgatę editioni repugnantem invenero, relicto fonte tanquam vitiato, rivulum conſectabor, quippe quem fonte ipſo puriorem decurrere, tantâ munitus authoritate, minimè dubitem. Licet enim *fontes ſcripturarum rivulis ſint anteponendi*) ut loquitur Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 11.) *quando conſtat fontes non eſſe turbatos: nunc tamen hebraicos fontes multis in locis turbidos fluere* ibidem cap. 2. idem Auctor oſtendit, per hęc verba. *His igitur duobus ſententiis refutatis reſtat tertia, quam ego veriſſimam puto, quæ eſt Driedonis lib. 2. de Eccleſ. dogmatibus & ſcripturis cap. 10. & aliorum, qui docent ſcripturas hebraicas non eſſe in univerſum depravatas operâ, vel malitiâ Judæorum; nec tamen eſſe omnino integras, & puras, ſed habere ſuos quoſdam errores, qui partim irrepſerint negligentiâ, vel ignorantiâ librariorum (præſertim cum in hebræo facile ſit errare ob literas quaſdam ſimillimas, quales*
ſunt

ſunt ב & כ : ד & ר : ה & ח : ח & ת : ו & י) *partim ignorantiâ Rabbinorum, qui puncta addiderunt. Cum enim variis modis legi, ſi punctis careant, hebraicæ dictiones poſſint; non eſt mirum, ſi aliquando ipſi quoque in annotatione punctorum à vero aberraverint. Cæterum non tanti momenti ſunt ejuſmodi errores* (paulò infra idem Author ſubjungit) *ut in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, ſacræ Scripturę integritas deſideretur.* Unde illa exploditur eorum opinio, qui Vulgatam editionem ita per Concilium Tridentinum probatā volūt, ut omnis pariter hebręi, & græcis fontibus auctoritas adempta ſit. Ut enim egregiè in hanc rem differit is, qui Concilio interfuit, Alphonſus Salmeron Proleg.3. à nobis citatus in diſſertatione biblicâ, quam edidimus hoc ipſo anno: *Nihil ibi* (in Trid. Synodo videlicet) *de exemplaribus græcis, aut hebraicis agebatur: tantum inter tot editiones latinas, quot noſtra ſecula parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo erat: & rejectis reliquis latinis, unam hanc Vulgatam cæteris, tamquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, & ſuis fontibus, unde eſt orta, magis conſentaneam pronuntiavit. Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas ſacras profundius meditantur, fontes græcos, atque hebræos, quatenus opus ſit, conſulere, quò noſtram vitio librariorum, aut temporum injuriâ corruptam editionem emendare valeant. Non tamen ut eam tamquam falsò interpretatam, præſertim in rebus ad fidem, vel bonos mores ſpectantibus, aut errorem intolerabilem continentem condemnent; ut hæretici frequenter impudentiſſimè faciunt.* Hactenus Salmeron, cujus ſententiam ſequuntur Bellarminus, Driedo, Vega, Serarius, Sixtus Senenſis, Andradius, & alii.

Fontes ergo, *quatenus opus ſit*, conſulere, inconcuſſâ nihilominus Vulgatæ editionis ſtante authoritate, uſum habet neceſſarium, tum ut Vulgatam ipſam à mendis, quæ quandoque irrepere poſſent, vindicemus: tum ut eam profundius meditantes, facilius intelligentiâ conſequamur: tum denique, ut Heterodoxos ad fontem provocantes, ubi Vulgata editio, quod ferè ſemper fit, cum fonte concordat, ipſorummet armis jugulemus, Evangelici Patris familias œconomiam imitantes, *qui profert de theſauro ſuo*
Matth.13.52. *nova, & vetera*.

30 Cum ergo hebraica lingua antiquitatis, cum ſanctitatis, cum pulchritudinis laude linguis omnibus antecellat; cum tantopere ſit ad Scripturarum intelligentiam neceſſaria, tum quia quædam ab interprete verti non poſſunt: tum quia inter vertendum, Scripturarum elegantia plerumque deteritur: tum demum quia, ſive vocum ambiguitas, ſive hebraicus idiotiſmus, ſive typographi errores, & menda ex neceſſitate verſionem obſcurant; quid obſtabit, quominus ingenui, & ingenioſi, ſciendique cupidine inflammati adoleſcentes tam antiquum, tam ſanctum, tam elegans, & ad ſcripturarum intelligentiam tam neceſſarium idioma condiſcant?

31 At obſtat difficultas. Difficultatem ſtudium hujuſmodi, nec modicam, præſefert: eſto. Nunquid ii ſunt, quos alloquor, ſapientiæ Candidati, quibus facilia tantum arrideant, quos proinde virorum fortiſſimus Gedeon monito illo excipiat Jud. 7. 3.

מי ירא וחרד ישב

Qui formidoloſus, & timidus eſt revertatur. Difficultate nimirum exacui fortes viros, & incitari, non re-

retūdi oportebat: nam virtus in arduo ſemper, vitium contra in proclivi poſitum eſt. Difficilis eſt hebraica lingua: Novatores tamen difficultatis hujuſmodi nihil larvâ deterriti exemplaria hebraica nocturnâ verſant manu, verſant diurnâ: linguarumque nobis pariter, & Scripturarum inſcitiam objectantes, ſubinde inſultant. Quos ergo Codices ſacros ſcrutantur illi, ut diſtortis, & falſis interpretationibus vitient, quantò æquius eſt eniti nos, ut ſartis, atque tectis pro virili portione ſervatis illorum detegamus fraudes, audaciam exarmemus. Ut intelligant quantò validius *Heb. 4. 12.*
anceps iſte, & *ex utraque parte acutus* divini verbi *gla-* *Apoc. 1. 16.*
dius à catholicâ dextrâ vibretur, præſertim cum tantum roboris ad illum tractandum ſcholaſticâ Theologia, cujus ipſi ope deſtituuntur, nobis ſuppeditet.

32 Cæterum quod ex abundanti permiſimus, difficilem nimirum eſſe linguam hebraicam, id verò apertè, & palam negamus: neque negamus modò, verùm etiam omnium illam linguarum facillimam, atque expeditiſſimam pronunciamus. Cum enim ex declinationum, & conjugationum primò, ex præceptorum deinde circa ſyntaxim, ex vocabulorum tandem multitudine, linguarum difficultas potiſſimùm æſtimetur; hebraica lingua mille, paulò amplius, radicibus tota comprehenditur: quarum ſi quinque, vel ſex alphabetico ordine digeſtas diebus ſingulis memoriæ mandâris, quinque, vel ſex menſibus univerſam didiceris. Declinationibus caret: nomina quippe omnia hebræis ſunt indeclinabilia. Comparativæ per monoſyllabam מן *min præ*, ſuperlativa verò per diſyllabam מאד *meod valde* omnia reſolvit. Hinc illud Cant. 1. טובים דדיך מיין *Bona ſunt ubera tuà præ vino*, id eſt, *meliora*. Et Geneſis cap. 1. verſu 31.

וירא אלהים את כל אשר עשה והנה טוב :מאד
Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, id eſt, *optima*. Conjugationes quatuor tantum unmerat: quarum primam ſi teneas, facile cęteras paulum à prima deflectentes noveris. Conjugatio autem, quantumvis perfecta, & integra, viginti duabus fere vocibus conſtat. Quid hoc ad gręcas, & latinas, quarum latina *Amo* centum circiter, gręca verò τύπτω ſupra centum numerat voces. Et, quod magis mirere, tam paucas voces hebraica conjugatio per maſculinum, & fœmininum latinis & græcis conjugationibus incognitum genus diſtinguit. Porro hujuſmodi paucitas vocũ ex eo procedit, quod hebraica lingua modos geminos tantùm indicativum ſcilicet, & imperativum, & gemina tempora pręteritum perfectum ſcilicet, & futurum computat: nam tempore pręſenti caret, cujus loco participium adhibet. Hinc illud Thr. 3. 1. אני הגבר ראה עני *Ego vir videns paupertatem meam*, id eſt, *qui video*. Philoſophicè nimirum: ſi enim tempus juxta philoſophum eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius; cum pręſens tempus, inſtans quippe indiviſum & inſecabile, prius, & poſterius minimè admittat, pręſens ſanè non habet rationem temporis. Quo nos inſtituto planè divino Lingua Sancta ſalubriter admonet, velut pręſens tempus, tranſiens nimirum, pro nullo tempore; ita ſane pręſentes res, quippe fluxas, pro nullis rebus habendas: ęternitatem dumtaxat, quæ ſemper maneat, loco pręſentis; ęterna, quę nunquam intereant loco durantium eſſe computanda. Cum tam multis autem, quibus Gręci & Latini utuntur temporibus verborum, & modis hæc lingua careat; non ideo tamen minùs feliciter res ipſas explicat,

cat,

Digitized by Google

cat, quippe cui, quemadmodum nihil ſuperfluum ineſt, ita ſanè nihil neceſſarium deſit. Syntaxis negotium breviſſimum eſt, cujus nimirum regulę omnes unâ, aut alterâ pagellâ circumſcribantur. Ea eſt enim hujus linguę natura, ut indole & ſponte ſuâ quodammodo ipſa ſe conſtruat. Ad radicem quippe, ſeu thema ſi unam aut alteram (ex iis, quę ſerviles dicuntur) literam adjeceris, nomina illico, & verba formaſti: nominum pręterea, ac verborum affixa: prępoſitiones etiam, quę cum ſimiliter atque affixa in unam cum radice dictionem coaleſcant, fit plerumque per unicam, ut hebraicam vocem ita compoſitam plures latinorũ elegãtiſſimo compendio voces reddantur. Sic ubi legimus Pſal. 1. 2. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*: quatuor hę latinę voces, *& in lege ejus* unica dictio hebraica concludit ובתורתו ubhthorathò. Deinde ſi declinationes nominũ, ſi comparativa, & ſuperlativa, ſi pręſens tempus, ſi modos optativum, & conjunctivum, quibus caret hęc lingua, computes; ſyntaxis portio quanta pręciditur? Quę quidem ſyntaxis quam magnum gręcis, & latinis negotium faceſſat, & quam multa involvat pręcepta, regulas, exceptiones, ſcholia, appendices, prolixa ſanè volumina, quibus documenta hujuſmodi continentur., ſatis oſtendunt. Quibus & illud addendum eſt, unicum fere librum, ſacrum Codicem ſcilicet, hebraicę linguę ſtudioſis ad cognoſcendum eſſe propoſitum; cum in latina, & gręca lingua multitudo librorum ſit pene infinita.

33 Itaque linguę hujus difficultas maximam partem in opinione conſiſtit. Atque in hoc pręſertim negotio veriſſimum eſſe effatum Senecę illud evincitur: *Non eſt in rebus difficultas, ſed in animis*. In re

diffi-

Digitized by Google

difficultatem lectioni, & ſcriptioni initio aliquam faceſſit characterum, & punctorum novitas, & inſolentia: quę difficultas hujus linguæ præcipua illius mihi videtur ſimilis, quam Mathematicę tyronibus exhibet quinta libri primi Euclidis propoſitio *Iſoſcelium triangulorum*, quę ideo dici vulgò conſuevit *Pons aſinorum*. Cęterum velut ponte illo, ita hac novitate intra paucos dies, labore & ingenio nec immodico, ſuperatâ; latiſſimus ad progrediendum campus aperitur. Habent etiam (ne quid diſſimulare difficultatis videamur) verba quædam anomaliam, verùm & hęc exiguo labore, ac tempore vincitur; neq; cum multò latiori Gręcorum anomaliâ videtur comparanda. Ex quibus efficitur, hebraicam linguam, ex communi magiſtrorum conſenſu, ne decimam quidem ejus laboris, & temporis partem requirere, quod ſive gręca, ſive latina poſtulat. *Si quis enim aliquot in eam menſes impendat* (*menſes non annos*) inquit Erpenius, *bonos facilè progreſſus faciet*. *Bimeſtris, vel trimeſtris, ut mediocriter quis addiſcat, induſtria ſufficiet*: *annum verò non requirit, ut omnis ejus difficultas feliciter ſuperetur*, inquit Amama. Verum quid magiſtros neceſſe eſt hujus rei teſtes inducere(quos pluſculum fortaſſe,quàm concedit veritas,ad homines alliciendos,difficultatem extenuare quiſpiam ſuſpicetur) cum luculentiores afferre in mediũ poſſimus teſtes diſcipulos. Vos appello, qui annis ſuperioribus, & prętertim anno proximè elapſo huic linguæ vacaſtis Auditores noſtri, nonne intra tertium aut quartum menſem(cum ſtrenuam interim ſpeculativis diſciplinis operam daretis) labore nec improbo, nec inſano ita profeciſtis; ut nedum legere, & exarare hebraicos characteres; ne dum ex ſa-

cro

cro Textu explicare, & excerpere aliquid poſſetis; verùm etiam ſcribere, quod caput eſt, eoque ſtylo, qui phraſim planè, & idotiſmum hebraicum redoleret. Egone, de futuris hoc anno hebraicæ linguæ auditoribus non ſperem, quod de præteritis annos jam plures expertus ſum? Imò verò ut non eadem modo, ſed & majora mihi de vobis ſpondere auſim, veſtra, lectiſſimi Juvenes, qua ad ſtudium pulcherrimum ineundum adeſtis, animi incitatio, & alacritas facit. A quibus ego, ut non modicum hac in hac facultate proficiatis, videte quàm modicum exigam. Spondete mihi dimidiam diebus ſingulis horam huic vos ſtudio ſepoſituros; & ego indubitanter recipio, hebraicam vobis Scripturam antè dimidium annum fore explicabilem.

FINIS.

ROMÆ, MDCCV
Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi.

Sup eriorum Facultate.

1.7.12
7

Digitized by Google

Digitized by Google

1.7.12

Digitized by Google

Digitized by Google

005644396

Digitized by Google

La Spezia
LABORATORIO
SANT AGOSTINO

Digitized by Google